

mitatem redaxit; ac una Canonum rigorem quoad prolixitatem *temporis clausi* nonnihil mitigavit. "Ab adventu Domini nostri Jesu Christi (ait) usque in diem Ephiphaniae, & à feria quarta Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusivè antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta Synodus præcipit: in aliis verò temporibus nuptias solemniter celebrari permittit.

Cumque hanc Ecclesiæ prohibitionem Hæretici nostri temporis tamquam superstitionem rejicerent, Synodus Tridentina *Can. 11.* eadem Sessione eum Hæreticorum errorem proscripsit his verbis: "Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab Ethnicorum superstitione profectam, anathema sit.

XIII. Notandum, quod Synodus Tridentina nullam hoc suo decreto novam prohibitionem induxit; sed tantum antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones, certis temporibus suo Decreto expressis, diligenter ab omnibus observari præcepit. Unde pro intellectu hujus Decreti ad antiquas prohibitiones potissimum recurrendum est.

Igitur ex ipsis antiquis Canonibus eruendum est, quid nomine *solemnium* nuptiarum intelligat Synodus Tridentina.

XIV. Hanc difficultatem discutens post alios Theologos & Canonistas Prosper Fagnanus ad *Cap. CAPELLANUS* de *Feris* ait *num. 6.* Conveniunt omnes his temporibus prohibitas esse nuptiarum benedictiones de quibus habetur *Can. LICET* *Caus. 30. q. 5. ibi: Sacerdos aliter, ut mos est, cum precibus & oblationibus à Sacerdote benedicitur.* Et in Concilio Trid. *cap. 1. ibi: Benedictionem in templo suscipiendam.*

Deinde *num. 7.* ait: Similiter nuptialia convivia his temporibus Feriarum prohiberi, satis constat ex *Can. NEC UXOREM.* *caus. 33. q. 4. ibi: nec convivium facere.* Hæc ille.

XV. Et ulterius *num. 7.* "Sed & traductionem uxoris ad domum viri his temporibus esse interdictam, satis liquet ex dicto *Canone NEC UXOREM*, nam verba illa, *nec uxorem ducere* communiter exponuntur, id est *Traducere*. Rationem reddit D. Thomas in *IV. Sent. Dist. 32. q. 1. art. 5. quest. 4.* Quia quando novæ sponsæ traduntur, animus conjugum magis ex ipsa novitate ad curam carnalium occupatur, & ideo in nuptiis consueverunt signa multa lætitiæ dissolutæ ostendi, & propter hoc illis temporibus, in quibus homines præcipuè debent se ad spiritualia elevare, prohibitum est nuptias celebrari.

XVI. Nec tantum traductionem quæ fit cum solemnitate; sed *quacumque* traductionem uxoris ad domum viri temporibus hujusce vetitam esse, sustinet; idque potissimum eo fundamento, quod temporibus illis vetita sit *Matrimonii consummatio*; uti ibidem fuse adituere conatur; atque pluribus pro hac opinione adductis auctoribus concludit: "ex quibus patet hanc esse unanimem Canonistarum sententiam, quam etiam tenuerunt ex Theologis Petrus de Palude, Cardinalis Cajetanus, S. Antonius & alii relati à Sanchez; eamque probavit S. Congregatio Concilii: nam proposito dubio, an Matrimonium coram Parocho quocumque tempore contrahi possit? Sacra congregatio censuit, posse contrahi Matrimonium quocumque tempore; sed temporibus comprehensis in *Cap. 10. Sess. 24. De Reform. Matrim.* nuptiarum solemnitates, traductiones ad domum, & carnalem copulam prohiberi. Hæc Fagnanus.

Quidquid sit de hac sententia, attentâ Canonum antiquorum rigorosâ expressione, hoc certum est, hodie dictis temporibus nequaquam vetitum esse actum matrimoniale; sed ad summum consilium esse eis temporibus

abstinere; ut mente elatiore & à carnalibus voluptatibus magis liberâ vacent orationi & pietatis exercitiis; qua de re interdum suos subditos Parochus monere potest; at magnâ cautelâ hic opus est, præsertim coram multitudine, cui homines carnales solent esse immixti, qui spiritualia hæc minimè intelligentes, sed carnalia sapientes, facillè monitionem hanc in ritum converterent; & occasionem libidinosa quæque effluendi inde ampererent.

XVII. Ad hæc, quamvis inspectis nudis verbis Canonum & Concilii Tridentini non appareat, temporibus designatis absolute esse vetitus contractus matrimonialis coram Parocho & testibus sine solemnibus benedictione aliisque pompis aut solemnitatibus; quemadmodum multis probat Sanchez De Matrimonio *lib. 7. disp. 71.* nihilominus de consuetudine Belgii non solemnes nuptias dumtaxat, sed etiam simplex contractus matrimonialis vetitus censetur. Hanc consuetudinem clarè supponit Synodus P. II. Mechliniensis *tit. 10. cap. 8.* ubi statuit: "Tempus claustrum diligenter observetur: & si quando ex legitima causa aliqui ad Matrimonium tunc contrahendum per *Ordinarium* admittantur, abstinendum tamen erit à solemnibus nuptialium convivorum, choreis, sponzarum publicis traductionibus, & similibus, quæ temporis sanctitati repugnant à quibus similiter abstinendum erit, etiam Matrimonium antea contractum fuerit sub pœna arbitraria.

Ratio hujus inductæ consuetudinis ea fuisse videtur, quòd Belgica consuetudo in Synodis sæpius probata habeat, nuptias semper eodem tempore esse in Ecclesia publicè benedicendas quo contrahantur; uti titulo præcedenti *cap. 4.* dictum est: ideoque cum Canones & Synodus Tridentina tempore clauso fieri benedictionem nuptiarum prohibeant, consequens visum fuit, etiam prohibitum esse contractum matrimoniale in regionibus, ubi contractus ille sine hujusmodi benedictione iniri vetatur.

XVIII. Supponit in super citata Synodus, contra hanc temporum prohibitionem per *Ordinarium* dispensari posse; quod quotidiana etiam praxis probat; quamvis de jure communi *Ordinarium* dispensare non posse, nonnulli sustineant; uti advertit Zypæus post Sanchez in *Jure novo titulo De Matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesiæ n. 6.*

XIX. Ulterius consuetudo non tantum Belgica, sed & universalis Ecclesiæ, ita hanc prohibitionem interpretatur, ut Matrimonium quidem illicitè contra eam inearatur; sed non *invalidè*; id est, ut constituat quidem impedimentum *impedens*, sed non *dirimens*; quamvis ex Antiquis nonnulli aliter censuerint, uti monet Glossa ad *Canonem 7. caus. 33. q. 4.* quin & Christianus Lupus *tomo 4. Scholiorum in Canones pag. 43.* ait: "Quod contractum extra tempora conjugum fuerit olim *substantialiter nullum*, fateor cum S. Petro Damiani. Hic rursum apparet, quid etiam consuetudo circa impedimenta Matrimonii valeat; possitque de dirimente facere impediens.

XX. Quemadmodum Canones nuptias celebrari certis temporibus jam pridem veterunt; ita ob causas varias intercurrentes, potest iudex Ecclesiasticus Matrimonium inter certas personas ad tempus saltem interdiceret; de quo interdicto agitur sub titulo *De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.*

Hæc iudicis prohibitio si iusta fuerit, indubie servanda est; & ei contraveniens puniendus; sed tamè ipsum Matrimonium non irritat, quemadmodum deciditur in *e. 1. 2. & 3. dicto titulo: Licet enim (ait, cap. 2.)* contra interdictum Ecclesiæ ad secunda vota transire non debuerint, non est tamen conveniens, ut ob id solum Sacramentum conjugii *dissolvatur*; alia tamen pœnitentia eis debet imponi, quia contra prohibitionem Ecclesiæ id fecerunt

XXI.S.

XXI. Si Episcopus aut etiam Synodus Episcopalis, vel Provincialis Matrimonium quacumque formula verborum interdixerit, *interdictum* quidem *illicitum* reddere Matrimonium, non tamen *invalidum*; apud omnes in confesso est: eò quod juxta modernam Ecclesiæ disciplinam, nemo Pontifice inferior impedimentum *dirimens* inducere queat.

XXII. Si iudex ob fundatam suspicionem consanguinitatis alteriusve impedimenti dirimentis inter conjugendos intercedens, conjugii veterit, donec cognitum fuerit an impedimentum subsit, si contra interdictum conjuncti sint, poterunt indubie per pœnas, imò interdictum & censuras adigi, ut à se mutuo separentur, quousque legitime cognoscatur, utrum eorum Matrimonium possit & debeat jure stare, ut respondit Pontifex in citato *Cap. 3.*

Synodus P. II. Mechliniensis *tit. 10. cap. 4.* vult, ut "impedimento aliquo denunciato, vel Matrimonio Deponsonum oppositum aliqua facta, non prius ad ulteriores proclamationes aut Matrimonii solemnizationem Parochus procedat, quam re ad *Ordinarium*, vel Vicarium ejus aut Officiale delata, ab eodem intellexerit quid facere debeat.

XXIII. Ulterius contra hoc interdictum illicitè Matrimonio assistet Parochus; si tamen assistit, Matrimonium coram eo & testibus contractum, non obstante hoc *interdicto* validum erit; nisi aliud impedimentum dirimens inter contrahentes subelle inveniat.

Imò tamen Episcopus *specialiter* inhibuit, ne huic Matrimonio individuo Parochus assisteret; nec ulli alteri Sacerdoti licentiam assistendi daret; nihilominus validum erit Matrimonium coram Parocho, aut Sacerdote ab eo delegato contra Episcopi interdictum contractum; uti post Sanchez De Matrimonio *lib. 3. disp. 32.* advertit Zypæus loco citato *n. 7.*

XXIV. Idem erit tamen tantum esset Vicarius ad nutum amovibilis, modo tamen esset loco Parochi ad integram curam animarum; quemadmodum declarasse S. Congregationem refert Sanchez ibidem; idque ideo, quia non obstante hac simplici probatione manet delegatus ad curam animarum & loco Parochi; cui consequenter competit jus assistendi Matrimonio; aliud esset, si Episcopus non tantum simpliciter interdiceret assistere huic Matrimonio; sed eum utpote ad nutum amovibilem, à cura animarum amoveret, uti rectè monet Zypæus loco allegato.

## CAPUT III.

## De Impedimento erroris &amp; conditionis.

1. Error alius antecedens, alius concomitans.
2. Aliquando error est circa personam, aliquando circa qualitatem.
3. Error circa personam semper dirimit Matrimonium.
4. Error qualitatis non solet Matrimonium dirimere.
5. Error qualitatis quando censetur redundare in personam.
6. Error qualitatis facilis in Sponsalibus, quam Matrimonio censetur redundare in personam; & quare.
7. Ob errorem qualitatis hodie non solent Matrimonia dirimi.
8. Condicio servilis apud Romanos dirimebat Matrimonium, si voluntas Dominorum non adesset.
9. Multis sæculis idem impedimentum agnovit Ecclesia.
10. Impedimentum hoc usque ad sæculum XII videtur durasse.
11. Hodie condicio servilis non dirimit, nisi error interveniat.
12. Error conditionis servilis dirimit Matrimonium, etiam non redundans in personam.
13. Belgium servos non agnoscit.

Van Espen Jur. Eccl. P. II.



Uo hæc impedimenta simul jungi & explicari solent, eò quod alterum sub altero quodammodo contineatur; error namque generatim hic sumptus etiam errore *conditionis* comprehendit.

Pro intellectu impedimenti *Erroris* notandum, errorem esse duplicem: nimirum *antecedentem*, & *concomitantem*; uti Theologi loquuntur; vel ut Jurisperiti loqui amant, dantem causam contractui, & in eum incidentem.

Antecedens enim vocatur, qui est causa actus; ita ut si erratum non esset, reverà actus positus non fuisset; unde eleganter Juris-Consulti hunc errorem, si cum dolo conjunctus fuerit, vocant dolum *dantem causam* contractui.

Error concomitans dicitur, qui non inducit ad agendum, sed ita concomitatur actum, ut eo non existente, propterea non fuisset ommissus, atque ita rectè appellatur à Juris-Consultis error *incidens*; & dolo conjunctus, dolum *incidens*.

II. Poterit error in Matrimonio contingere potest, vel circa personam, vel circa qualitatem personæ, vel ejus conditionem.

Error circa personam est, quando unus Contrahentium errat in persona cum qua contrahere intendit; credens nimirum per errorem aliam esse personam cum qua contrahit, quam reverà est.

III. Error hic circa personam omnium consensu dirimit Matrimonium *jure natura*; etiamli error non sit conjunctus cum ullo dolo partis alterius; idque sive sit *antecedens*, seu dans causam contractui; sive solum *concomitans* sive *incidens* in contractum.

Licet enim error *incidens* non causet absolute & positivè *involuntarium*; impedit tamen fuisse tempore contractus positivè voluntarium consensum in personam, quia non potuit actu fuisse volitum, quod ignoratum & incognitum fuit.

Ut autem Matrimonium sit *jure natura* validum, non sufficit, quod in personam consensisset, si novisset eam fuisse præsentem; sed requiritur, ut *positive* consenserit, & cum ea contraxerit.

IV. Error qualitatis est, quando in certa qualitate personæ erratur. V. G. creditur esse nobilis, qui est ignobilis, aut dives qui est pauper &c.

Hic error ordinariè sive sit antecedens, sive incidens, non dirimit Matrimonium, nisi annexum habeat errorem personæ; sive ut vulgò loquuntur, *redundet in personam*.

Dum enim error dumtaxat versatur circa aliquam qualitatem personæ, nullatenus tollit consensum matrimoniale; sive consensum circa substantiam contractus matrimonialis. Cum enim talis qualitas non sit necessaria ad contractum matrimoniale, nec essentiam ejus intret, error hoc relinquit sufficiens voluntarium circa *essentialia* ipsius contractus; adeoque ipsum contractum defectu necessarii consensûs involuntariam reddere nequit.

V. Si autem error ille impediret unâ consensum in personam, tunc indubie ipsum Matrimonium dirimeret, non tamquam error *qualitatis*; sed tamquam error *personæ*; diciturque hic error qualitatis redundare in personam.

Tunc autem error circa qualitatem dicitur redundare in personam, quando animus contrahentis sic fertur in certam qualitatem ut implicite nolit personam, si ipsi delit qualitas in qua errat. Exemplum assignat S. Thomas in *IV. Sent. Dist. 30. q. 1. a. 2. ad 5.* si Principi offeratur filia tamquam primogenita & hæres Regni. Solet enim illius animus ita ferri in hanc qualitatem, ut, si circa illam sit error, nolit istam personam: vel potius quia juxta prudens judicium judicari debet, quod

§ 3

censetur



conferatur noluisse illam filiam hac qualitate destitutam in hujusmodi, dum exterius nihil exprimitur, potius examinandum est, quid juxta prudens iudicium quispiam conferatur nolle, aut velle, quam quid re ipsa nolit aut velit.

VI. Quidam autem juxta prudens iudicium quis conferatur non velle personam, si huic desit qualitas circa quam errat, frequenter est incertum.

Hoc Porro certum est, censendum esse juxta prudens iudicium, multo facilius contrahentes sponsalia aliove civiles contractus suspendere suum consensum ab aliqua qualitate personae aut rei, quam contrahentes Matrimonium.

Ratio hujus differentiae est: quod cum Matrimonium sit contractus completus, qui consensum de praesenti & absolutum praefert, difficillime admittat conditiones hujusmodi implicitas: secus quoad sponsalia de futuro; quae cum expriment tantum consensum in actum futurum facilius conditiones tales admittunt.

Ad haec cum Matrimonium sit contractus ex natura sua indissolubilis, & maximi momenti haud facile praesumendum, quod contrahentes voluerint ab aliqua qualitate accidentali consensum suum dependere.

VII. Neque hodie ob errorem qualitatis Matrimonia dissolvi videmus; quin autem consuetudo Regionis hic quoque attendenda sit, non dubium; cum contrahentes praesumantur se consuetudini loci conformare; & contractus ex ipsa consuetudine recepta interpretationem accipere soleant.

VIII. Condicio quae inter impedimenta Matrimonii refertur, intelligitur conditio *Servilis*.

Apud Romanos haec conditio matrimonium eo sensu dirimebat; ut *Servus* live conditio servilis contractum Matrimonium dirimeret; atque inter personas conditionis servilis non Matrimonium, sed contubernium esse censebatur. *L. 14. ff. de ritu Nuptiarum*; maxime vero si *ignorantibus* aut *invisis Dominis* Matrimonium contraheretur.

IX. Cum autem Ecclesia nata & adulta sit in Imperio & Republica, non Respublica in Ecclesia, ut loquitur Optatus Milevitanus; ipsa quantum fieri poterat, se Legibus Respublicae conformabat: ne ipsa lex Evangelica Respublicam turbare videretur.

Hinc primitus Ecclesia conjugia inter personas conditionis servilis pro nullis habuit; atque dirimi permittebat si consensus Dominorum non intervenisset; ut est apud Gratianum *Caus. 29. q. 2. Can. 8.* ubi ex Concilio Cabilonensi II. refertur: "Nobis visum est, ut conjugia Servorum non dirimantur, etiam si diversos Dominos habeant, sed in uno conjugio permanentes, Dominis serviant suis & hoc in illis observandum est, ubi legalis conjunctio fuit, & per voluntatem Dominorum." Et apertius S. Basilus in Epistola Canonica ad Amphilochem *Can. 42.* "Quae sine iis, qui habent potestatem, fiunt Matrimonia, sunt fornicationes. Vivente ergo patre vel Domino, si qui conveniunt, non sunt ab accusatione liberi, donec conjugio Domini annuerint: tunc enim firmitatem accipit conjugium.

Hic videmus quo modo Ecclesia impedimentum dirimens per leges inductum, etiam probaverit, quemadmodum supra notavimus.

X. Videtur impedimentum illud durasse usque ad seculum XII. aut circiter: Nam in *Cap. 1. De Conjugio Servorum* refertur consultatio Archiepiscopi Salisburgensis super Matrimoniis Servorum quae invisis & contradicentibus Dominis contrahuntur; responsumque Adriani Papae in haec verba: "Sanè juxta verbum Apostoli, sicut in Christo Jesu, neque liber, neque Servus est à Sacramentis Ecclesiae removendus, ita nec inter Servos Matrimonia debent ullatenus prohiberi: & si

contradicentibus Dominis & invisis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda. Debita tamen & consueta servitia non minus debent pro priis Dominis exhiberi.

Quamvis in nostra hodierna Decretalium collectione non noteatur quis fuerit hic Archiepiscopus Salisburgensis, qui Papam consuluit, in appendice tamen ad Concilium Lateranense sub Alexandro III. *parte 45. cap. 7.* exprimitur *Eborardus*, qui rexit dictam Ecclesiam ab anno 1145. usque ad annum 1164. uti notavit Gonzales in notis ad hoc Capitulum.

XI. Hinc patet eo tempore nondum ubique indubitatum fuisse, num inter personas servilis conditionis consisteret Matrimonium *invisis* Dominis: unà tamen constat illud impedimentum jam tum cepisse abrogari, & hodie certum est, conjugia hujusmodi valere; ea tamen moderatione, quae in hac Decretali adjicitur: "Debita tamen & consueta servitia non minus debent pro priis Dominis exhiberi."

XII. Et hoc quidem si personae conditionis servilis inter se contrahant; aut etiam una libera & altera serva; modò illa non fuerit *ignara* conditionis servilis.

Si enim error sit circa *conditionem*, hoc est, si homo liber contrahat cum homine *Servo*, quem credebat esse *liberum*, hujusmodi error, licet non redundet in errorem *persona* dirimit Matrimonium; liberumque est decepto postquam error detectus est, aliud Matrimonium contrahere, quemadmodum respondit Innocentius III. in *Cap. fin. eod.*

Hanc dirimendi vim huic *errori* jure merè positivo competere, una est Canonistarum & Theologorum opinio: & verisimiliter Legum Romanarum & antiquorum Canonum, quae servorum conjugia agere admiserunt, reliquiae sunt.

XIII. Quidquid sit, hodie hoc impedimentum in hisce ac vicinis Provinciis patum usui venit; eo quod servos hic non agnoscimus; imò servos in Gallia & Belgio beneficio regionis liberos fieri notat Zypæus in Notitia Juris Belgici *titulo de servis n. 4.*

## CAPUT IV.

### De Impedimento voti & Ordinis.

1. *Canonis semper improbarunt Matrimonium contra votum castitatis initum.*
2. *Idipsum per leges improbatum.*
3. *Virginum aut Monachorum Matrimonia non videntur olim fuisse invalida.*
4. *Sanctus Augustinus ea esse valida sustinuit.*
5. *Quid hic senserit S. Bernardus?*
6. *Ex hodiernis moribus non rectè judicatur de Monachis primae aetatis.*
7. *Quando caperit distinctio inter votum simplex & solemne ad dirimendum Matrimonium?*
8. *Seculo 12. ea distinctio recepta fuisse videtur.*
9. *Nondum definitum erat, in quo consisteret solemnitas voti ad dirimendum Matrimonium.*
10. *Id definitur Bonifacius VIII.*
11. *Hodie externa solemnitas non sufficit ad dirimendum Matrimonium.*
12. *Qua ratione solemnitas voti sit ex sola Constitutione Ecclesiae.*
13. *Rectè definitur Synodus Tridentina vota soemnia dirimere Matrimonia.*
14. *Rationes morales ob quas Matrimonium Clericis sit interdictum?*

I. Tam

1. **T**am mulieribus, quam viris voto castitatis obstrictis, semper interdictum fuisse Matrimonium, in quantum ipse usus Matrimonialis contrarius est voto castitatis, extra dubium est.

"Si nupserit virgo non peccat, non illa virgo quae semet Dei cultui dedicavit. Harum enim si qua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit," ait S. Hieronymus apud Gratianum *Dist. 27. Can. 5.*

Et Synodus Calchedonenfis *Can. 16.* "Si qua virgo se dedicavit Deo, similiter Monachus non licet eis nuptiis jungi, si vero inventi fuerint hoc facientes, maneat excommunicati. Statuimus verò eis posse fieri humanitatem, si ita probaverit Episcopus loci." Ita apud Gratianum *Caus. 27. q. 1. Can. 22. ex versione Isidori.*

II. Ipsi quoque Principes Christiani nuptias Virginum Deo sacratarum exhorruerunt, variaque poenas adversus sollicitantes nuptias hujusmodi virginum decrevere, quae leguntur in Codice Theodosiano *lib. 9. tit. 23.* Imperatoris Joviniani lata de hac re Constitutio refertur his verbis in Codice Justiniano *lege 5. De Episcopis & Clericis*: "Si quis non dicam rapere, sed ad tentare tantum jungendi Matrimonii sacratissimas virgines ausus fuerit, capitali poena feriatur."

Relata est haec lex à Gratiano *de Penitent. Dist. 1. Can. 6.* Num verò Matrimonia cum hujusmodi virginibus voto castitatis obstrictis, fuerint non tantum illicita; sed semper *invalida*, non aequè certum est.

III. Primis seculis ea nequaquam irrita fuisse sat dilucide indicare videtur Innocentius I. Epistola ad Victoricium Rothomagensis, scribens, non esse admittendam ad penitentiam mulierem religiosam, quae post fidem Deo promissam ad nuptias convolverat, nisi *post viri obitum*; idque indubiè, ne penitentia cedat in Matrimonii initio injuriam: tunc enim publicè poenitentibus actum conjugalem exercere non licebat. Verba Innocentii sunt: "Que Christo spiritaliter nupserunt, vel lari à Sacerdote mecerunt, si postea vel publicè nupserint, vel se clanculo corruerint, non eas admittendas esse ad agenda poenitentiam, nisi is cui se junxerant de saeculo recesserit."

Et citatus Canon Calchedonenfis, virginibus illis & Monachis nequaquam injungit separationem à conjugibus; sed hoc unum praecipit, ut poenitentiae addicantur, de qua loci Episcopus, prout prudentia suggesterit, aliquid possit remittere.

Similiter Sanctus Leo qui Synodo Calchedonensi per suos legatos praefuit, interrogatus à Rustico Episcopo Narbonensi de Monachis qui uxores acceperunt, non respondit, eos ab uxoribus separandos; sed publicae poenitentiae satisfactione purgandos. Verba Leonis ex *epist. 2.* referuntur à Gratiano *caus. 20. q. 3. Can. 1.*

IV. In Africa fuisse videtur tempore S. Augustini nonnulli, qui hujusmodi virginum Matrimonia non nuptias, sed adulteria esse asserereat; at his se opposuit Augustinus *libro De bono viduitatis cap. 10.* scribens: "Proinde qui dicunt talium nuptias non esse nuptias, sed potius adulteria, non mihi videntur diligenter ac acutè considerate quid dicant. Fit autem per hanc minus consideratam opinionem, qua putant lapsarum à sancto proposito femininarum, si nupserint, non esse conjugia, non parvum malum, ut à maritis separantur uxores & cum volunt eas separatas reddere continentiae, faciunt maritos earum adulteros vel, quod minus sanè dixerint, quod cum suis uxoribus vivis alteras duxerint. Quapropter non possum quidem dicere à proposito meliorem lapsas, si nupserint, feminas, adulteria esse, non conjugia; sed planè non dubitaverim dicere, lapsas & ruinas à castitate sanctiore, quae vovetur Deo, adulteris esse peiores."

Evidentius videtur, quam ut probari debeat, Augustinum hic agere de feminis quae castitatem Deo voverunt; Undè Gratianus compendium verborum S. Augustini hoc modo expressit: "Quidam nubentes post votum asserunt adulteros esse: ego autem dico, quod graviter peccent qui tales dividunt." *Distinct. 27. Can. 2.* Ad hunc Gratiani Canonem notant Correctores Romani: "Verba propria hujus capitis non sunt inventa apud B. Augustinum; sententia tamen habetur, in libello de bono viduitatis." Integrum locum Augustini retulit ipse Gratianus *Caus. 27. quæst. 1. Can. 4. 1.*

V. Hanc fuisse Augustini sententiam etiam ipse S. Bernardus agnovit; eaque occasione dignam tanto Doctore protulit resolutionem *libro De Praecepto & dispensatione cap. 17.* Monachi nonnulli postulerant à S. Bernardo instrui, cur vel B. Gregorius nescio, quem venantium, habitum Monachalem, quem pie susceperat, imple rejecerat; non solum resumere non cogit, sed etiam omnem legitur indulsisse communionem Apollatae perduranti: vel S. Augustinus conjugii legi votum quodammodo subjiciat continentiae: ita ut in libro de Virginitate asserere videatur, nec celi, bis quidem vitae propositum copulae posse praescribere conjugali, quominus *indissolubilo* maneat, etiam quod à continentibus fallente diabolo, fracto sanctitatis voto initum fuerit matrimonium.

Huic dubio repouit Bernardus: "Et ad haec nihil ad praesens certius breviusque respondendum occurrit, nisi quod ita sancti Antistites sapuerunt: rectene? ipsi viderint. Nam ego in sensibus actibusque illustratum Pattum cautus profectò sum omninò non aliud aestimare, quam quod Beato Apostolo teste quaeritur jam inter dispensatores, ut videlicet fidelis quis inveniatur. Certus sum enim si in suo abandaverint sensu, si in Dei spiritu: sicut & in cæteris, ita & in his ambos excutisse fideles, illum in dispensando quod praemanibus erat, istum in scribendo quod senserat."

Quaestionem hanc aetate S. Bernardi agitatam multis praeterea argumentis probat Joannes Mabillonius in notis ad hunc Bernardi textum in editione operum novissima anni 1690.

VI. Locus S. Gregorii de Venantio, cujus hic mentio fit, habetur in *Epistola 33. Lib. 1.* observatque ibidem Eruditus Notator, quod S. Gregorius tam fuerit indulgens Venantio, ut S. Bernardus existo exemplo, quati ex cautibus scrupulosi vix enavigaverit; ac tum subjicit hoc notandum monitum: "Certè qui Monachos & Virgines primae aetatis ex hodiernis moribus aestimant, tota errant via."

VII. Ex poenitentiis Theodori Cantuariensis refert Gratianus citata *Dist. 27. Can. 3.* "Si Vir simplex votum Virginitatis habens adjungitur uxori, postea non dimittat uxorem, sed tribus annis poeniteat."

Notant Correctores Romani, hanc vocem *simplex* abesse ob omnibus manuscriptis. Eam additam esse juxta disciplinam illius aetatis, quando jam distinctio inter votum *simplex* & *solemne* invaluerat, admodum verisimile est; idque conformiter ad notam quam ipsemet Gratianus ad calcem hujus distinctionis adjecit. "Hic distinguendum est (ait) quod voventium alii sunt *simpliciter* voventes, de quibus Augustinus & Theodorus locuti sunt: alii sunt, quibus post votum, benedictio accedit consecrationis, vel propositum religionis, de quibus Hieronymus, Nicolaus & Calixtus scripturunt."

Hujus distinctionis sub nominis voti *solemnis* & *simplicis* nulla apud Veteres mentio habetur; quo verò tempore vota castitatis Matrimonia dirimere, atque vota alia *solemnia*, alia *simplicia* dici ceperint; illisque vis